



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Cap. I. Narratio per modum Prologi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**



**INCIPIT LIBER IV.**  
**DE MIRACVLIS ANTE OBITVM**  
**EIVS DIVINITVS OSTENSIS, ET DE**  
**IPSIVS TRANSITV AC MIRACVLIS POST**  
**felicem eius obitum factis.**

*Narratio per modum Prologi.*

**CAPVT PRIMVM.**

Iicut priorum, qui vitas, vel etiam miracula sanctorum Patrum scriptis suis fidelium coinnenauerunt memorie, diligentiam laudamus: ita in nobis ipsis, qui ea, quæ quotidie per frequentiam signorum fieri videmus, per torporē ac desidiam transimus, negligentiam damnamus. Quia igitur vita Sancti ac singularis patroni nostri, pīj ac Deo digni Confessoris Ottonis in libello, quem dramatico carmine, vel etiam prosa decurrente, Scholasticus noster HERBORDVS luculentissimè perfudauit, plenius conscripta cognoscitur; in quo etiam aliqua miraculorum eius, quæ viuens gesit continentur insignia, nos quasi inertes ac rudes alumni laudabilem Præceptoris nostri deuotionem, longè quidem impari scientia prosequentes, signa, quæ post mortem ipsius, Deo cooperante, viuere illum loquuntur; tam à nobis perspecta, quam fidelium relatione collecta, minus inuidiae, plurimum autem charitati, quæ hunc laborem nobis iniunxit, intendentis, in vnum comp̄lare, ac posteris commendare aggressi sumus.

*Herbordus  
Scholasticus  
scriptor Getam  
S.Othonis.*

x 2

Cūm

Cum enim præcipuorum fundatorum nostrorum, vide-  
licet HENRICI Imperatoris, ac sanctissimæ KVNEGVDNIS  
Virginis, eiusdem regni & meriti consortis, miracula clarissimis Ecclesiæ Dei scriptis pomposè satis declarata videamus,  
veremur, ne ipsorum conscriptoribus pro geminato censu  
intromissis, nos quasi desides pro non reportato lucro à gau-  
diis Domini excludamur, si eius, quem familiæ suæ diuina  
prædestinatione tam fidelem, quām prudentem constituit  
dispenſatorem meritorum signa sub silentio transcamus.

*De visione ostensa Presbytero Lippoldo de  
transitu S. Ottonis.*

CAPVT SECUNDVM.



*Visio Lippoldi  
Presbyteri.*

Vidam ex fratribus nostris religiosus Presbyter  
Lippoldus nomine, ante quinquennium, dormi-  
tionem beatissimi huius Patris in visione tali,  
Domino reuelante, meruit contemplari. Mon-  
tem quendam præcelsum, & omni amoenitate iocundum  
contra Orientem oculos dirigens aspergit: cuius quidem spe-  
ciosum cacumen ascendere non potuit, sed deorsum stans, vi-  
dit multitudinem copiosam plebis utriusque sexus & etatis,  
ingentia lapidum preciosorum onera super verticem montis  
magna cum exultatione attrahere, ac suauissimum quoddam  
melos, quod intelligere non potuit, dulci modulatione con-  
cinere.

Tunc accedens, vacillante licet gressu, quendam ex  
eis canicie veneranda conspicuum vocavit; & quæ hæc esset  
multitudo, vel cur lapides illos in cacumen montis attrahe-  
rent, inquisivit. At ille; nos, inquit, sumus, qui eleemosynas  
& beneficia plurima à pio Ottone percepimus, ideoque do-  
mum preciosam ei in supercilio montis huius ædificamus.  
Cui Lippoldus: & quando ait, domus hac consumabitur? Ille  
vero, post quinquenium, inquit, perficità domo, cum latitia & exulta-

cione

